

vita possit homo esse, cur non sit, et respondet: Possem facile et veracissime respondere: Quia homines nolunt; habent ergo gratiam sufficientem qua possunt, et nolunt. Gratiam autem non solum efficacem, sed etiam efficacissimam nominat Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbit., c. 5, cum Paulo dicit datam fuisse efficacissimam vocationem, et lib. de Grat. et liber. arbit., cap. 16: Certum est (inquit) nos facere cum facimus; sed ille facit ut faciamus, dans vires efficacissimas voluntati; et lib. 1 contra duas Epistol. Pelagian., cap. 20, etiam generalius dicit Deum efficacissime hominum convertere voluntates; et lib. de Corrupt. et grat., c. 5, hanc gratiam vocat, occultissimam et potentissimam medicinæ suæ potestatem quæ homines ad salubrem pœnitentiam perducit; et aliis locis generaliter ait ad omnipotentiam Dei pertinere, quo voluerit, quando, et uti voluerit, humanam vertere voluntatem, ut dicit in Enchir., cap. 98, et lib. de Grat. Christi, cap. 24 et 25, et de Grat. et liber. arbit., cap. 20 et 21, quod censet facere Deum per gratiam prævenientem efficacem.

14. Denique distinctionem ipsam integre tradit in dict. lib. de Corrupt. et grat., cap. 11 et seqq., ubi duplex distinguit auxilium, unum, sine quo peccatum caveri, vel bonum opus fieri non potest, et cum illo fieri potest, si homo velit; aliud quo datur ut bonum opus fiat, vel peccatum caveatur; et primum dicit esse datum Adamo ante peccatum, non secundum: *Istam gratiam (inquit) non habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus, ecce efficacem; sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, et sine qua, etiam cum libero arbitrio, salvus esse non posset, ecce sufficientem. Quod iterum sic describit: Tale erat adiutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permanet si vellet, non quo fieret ut vellet; in qua ultima particula insinuat etiam auxilium efficax esse illud quo fit ut homo velit; et infra dicit hoc esse potius auxilium, quia per illud non solum datur homini ut possit in bono permanere, si velit, sed etiam efficitur ut velit; et infra inde probat non recepisse Adam tale auxilium: Nam si habuisset (inquit) perseverasset; eandemque doctrinam late prosequitur cap. 12, ubi in fine, loquens de gratia efficaci data hominibus lapsis ad perseverandum, inquit: Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur, et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur.*

15. Atque de hoc genere subsidii videtur certe loqui Cyrillus, de Adorat. in spiritu, circa medium, ubi, expendens quod Genes. 49 de Loth dicitur: *Et apprehenderunt Angeli manum ejus, etc., inquit: Indicium tibi sit valde manifestum, dum non solis verbis nos exstimulat, et adhortationibus menti immisissis, ut discedamus peccato; sed tantam benignitatem nobis etiam exhibet universorum Salvator Deus, ut efficaci subsidio adjacet, secundum quod scriptum est: Apprehendisti manum dexteram meam, et in consilio tuo deduxisti me, quod magis declarat sententiam Augustini explicantis efficacem gratiam per propositum voluntatis Dei; in re tamen in idem redit, quia Deus omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, ut, Ephes. 1, Apostolus ait. Pergit Cyrillus, et utrumque auxiliandi modum declarat, dicens: Nam quoniam hominis natura non valde generosa est, nec satis idonea ut malum effugere queat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, et duplex beneficium concedere videtur, persuadens demonstrationibus ut subsidium inveniamus, et fortius illud præstans, quam ut malum præsens, et violentum prævalere possit. Unde infert difficile inveniri hominem fidelem, id est, fideliter et constanter Deo servientem. De illo tamen subjungit: Verum tamen qui talis est electus, et divinam gratiam non perfunctorie est assecutus. Ubi illos indicat gratiam perfunctorie assequi, qui tantum sufficientem accipiunt; illos vero efficaciter, qui cum illa strenue dimicant: quos etiam electos vocat, de quibus testimoniis plura in libro sequenti.*

16. Quarto, rationibus. — Ultimo, possumus divisionem hanc ratione declarare: quia cum gratia sit hominibus necessaria ad salutem consequendam, et ad opera salutis præstanda, necesse est ita illis tribui, ut possint salvari, et opera salutis operari, alias illis non posset imputari, etiamsi ea non facerent, ut optime dicit Augustinus, dicto libro de Corrupt. et grat., cap. 11 et 12. At vero hæc gratia in omnibus non habet effectum, ut experientia notum est; ergo datur aliqua gratia pure sufficiens; sufficiens quidem, quia dat absolutam potestatem; pure autem, quia non consequitur effectum; et hanc significamus nomine auxilii sufficientis simpliciter dicti, ut jam explicavimus; in aliis vero hæc gratia habet effectum bonæ voluntatis et perseverantiæ in illa, ut supponimus tanquam notum: ergo talis gratia in effectu consequitur et efficit quod intendit; ergo est, et recte

dicitur auxilium efficax, tum quia efficit, tum etiam quia obtinet ab homine et libero arbitrio ut faciat. Nam gratia ad utrumque necessaria est, et propter utrumque datur, ut ex dictis in libro præcedenti constat; et ideo quando homo per illam operatur, ipsa utroque modo est efficax, ut latius in sequenti libro declarabitur.

17. *Ecclesiæ preces pro utraque gratia obtinenda.* — Et confirmatur primo, quia hominibus justis debetur auxilium sufficiens ad perseverandum, vel tanquam connaturale gratiæ, vel tanquam debitum ex merito de condigno, si justus faciat quod potest ad illud obtinendum, ideoque omnibus justis datur tale auxilium: at vero auxilium efficax perseverandi neque omnibus debetur, neque omnibus datur, neque sub merito de condigno cadere potest; ergo quoad effectum perseverandi, necesse est distinguere auxilium sufficiens et efficax; idemque est cum proportione de auxilio ad vincendas tentationes, et similia. Confirmatur secundo, quia quoties in oratione petimus a Deo auxilium gratiæ, non solum ut possimus, sed maxime ut etiam velimus et faciamus: quæ orationes, et in Scriptura, locis allegatis, et in usu Ecclesiæ sunt frequentes; ergo postulamus non solum sufficiens auxilium, sed etiam efficax; nam sensus illarum orationum est postulare a Deo ut det nobis victoriam, verbi gratia, tentationis, et tantum auxilium, ut constantes simus, vel ut ad eum convertamur, quod satis significat Ecclesia in verbis cujusdam orationis: *Et ad te nostras et rebelles compelle propitius voluntates; et in alia sic habet: Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, et præsta ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur; quid est enim, efficaciter consequamur, nisi ut Deus in nobis efficaciter operetur.*

18. *Eædem in Conciliis in eundem finem usurpari solitæ.* — Et in primo tomo Conciliorum, in ordine celebrandi Concilium ab Isidoro collectum, statim prope initium habetur oratio in qua Sanctus Spiritus invocatur ut adsit, et prius postulatur ab illo gratia sufficiens, his verbis: *Dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quo gradiamur, et ostende quid efficere debeamus, ut, te auxiliante, tibi in omnibus placere valeamus.* Deinde petitur gratia efficax hoc modo: *Esto salus, et suggestor et effector judiciorum nostrorum; et infra clarius: Junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, etc., quæ oratio fere eisdem*

verbis repetitur in quarto tomo Conciliorum, in quodam tractatu, *Quomodo initianda sit Synodus*, qui habetur post Concilium Salegunstadiense, quod Concilium tempore Benedicti VIII celebratum est, et ideo fortasse quidam vir doctus illam tribuit eidem Pontifici Benedicto, cum tamen nulla ejus acta in Conciliis, vel Pontificiis Epistolis habeamus, nec ipso adfuerit Concilio Salegunstadiensi, nec in illo de modo celebrandi Concilium actum sit, nec constat quis fuerit auctor illius tractatus, qui in quarto tomo Conciliorum habetur, nisi quod a Burchardo refertur, et illi Concilio adjungitur. Verius tamen est et ordinem illum et orationem esse antiquiorem, cum ab Isidoro referatur.

19. *Ex iisdem Ecclesiæ orationibus, et Dei promissionibus, sanctus Augustinus allatam divisionem evincit.* — Ex hac ergo et similibus rationibus convincitur illa divisio, quia non postulat Ecclesia a Deo nisi vera auxilia quæ a Spiritu Sancto dari possunt et solent, et simili argumento utitur sæpe Augustinus ex orationibus Ecclesiæ, quæ non solum orat ut Deus illuminet infideles, ut possint credere, sed etiam ut ex non credentibus credentes fiant; et similiter sumere solet argumentum ex promissionibus Dei, quibus non solum auxilia quibus homines possint credere, sed etiam fidem ipsam promittit; sic enim ait dicto lib. de Prædest. Sanct., cap. 10, cum Deus promissit Abrahæ in semine ejus fidem gentium, id promississe, *quod fuerat ipse factururus, non quod homines: nam etsi faciant homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quod præcepit, non ipsi faciunt ut ille faciat quod promissit.* Satis ergo ex his omnibus divisio hæc fundata et comprobata est. In rationibus autem dubitandi in principio positis, multa petuntur, nimirum, quod sit illius partitionis divisum, quid sit auxilium sufficiens, et unde habeat quod tale sit, et in quo ab efficaci distinguatur. Sed hoc ultimum vix potest usque ad sequentem librum exacte declarari. Cætera vero in sequentibus capitibus prosequemur.

CAPUT II.

UTRUM AUXILIUM SUFFICIENS NON SOLUM HOMINI SIT NECESSARIUM UT POSSIT OPERARI, SED ETIAM UT OPERETUR ALIQUO MODO TRIBUAT.

1. *Ratio dubitandi proponitur.* — Ratio dubitandi esse potest, quia si auxilium sufficiens

illa omnia conferret, non solum daret posse, sed etiam operari, et ita non distingueretur ab efficaci, quia nihil amplius auxilium efficax dare potest. Consequens est falsum, ut vidimus; ergo necessario dicendum est auxilium sufficiens non dare necessaria ad operandum, sed tantum ad potestatem operandi; et confirmatur, quia ad operandum non est solum necessarium auxilium præveniens, sed etiam cooperans; ergo si auxilium sufficiens daret necessaria ad operandum, daret etiam auxilium cooperans; hoc autem repugnat distinctioni datæ, et ejus explicationi: nam auxilium cooperans non est nisi quando est ipsa operatio, juxta dicta in præcedenti libro; ergo si auxilium sufficiens includit cooperans, nunquam ab operatione separatur, quod est contra rationem auxilii tantum sufficientis.

2. *Duo in gratia sufficiente notanda.* — *Gratiam sufficientem non includere auxilia necessaria ad posse, et ad operari, sententia quorundam.* — Ut sensus hujus quæstionis et punctum difficultatis melius percipiatur, duo sunt in auxilio sufficienti distinguenda. Unum est quid per se et formaliter conferat potentiæ, verbi gratia, voluntati; aliud est quasi proximus finis propter quem datur; nam illud prius pertinet quasi ad effectum formalem auxilii; hoc autem posterius spectat ad effectum in genere causæ efficientis; est enim auxilium veluti forma quædam indita potentiæ, et ideo necesse est ut aliquem effectum formalem in illa habeat, et quia datur tanquam forma operativa, propter aliquam operationem datur, quam non formaliter, sed efficienter conferre potest: sicut gravitas formaliter confert pondus seu inclinationem ad inferiorem locum, motum autem effective: unde effectum formalem hujus auxilii omnes conveniunt esse priorem operatione, et separabilem ab illa, quia tunc auxilium dicitur tantum sufficiens, quando ex illo non sequitur operatio, etiamsi cætera habeat quæ ad sufficientiam requiruntur. Hinc conveniunt omnes auxilium dare posse illud opus propter quod datur; quia sine auxilio Spiritus Sancti pie operari non possumus, ut libro 3 ostensum est; cum auxilio autem Spiritus Sancti possumus operari, ut per se notum est, et docet Concilium Trident., sess. 6, cap. 11 et 13, et can. 8 et 22; ergo quando homini datur auxilium cui ipse non cooperatur, saltem recipit per auxilium posse operari, et quia potestas operandi necessaria est ad operandum, ideo auxilium sufficiens aliquid ad ope-

rationem necessarium confert; in quo considerandum est aliquod auxilium dici posse sufficiens in suo genere, seu ex parte, ut illuminatio ex parte intellectus, inspiratio ex parte voluntatis, et sic de aliis; aliter vero dici auxilium sufficiens, et quasi collective, et omni ex parte; et de hoc posteriori procedit proprie quæstio, an auxilium, simpliciter sufficiens quoad omnia in actu primo, includat etiam necessaria ad actum secundum, quæ interrogatio in priori sensu locum non habet, ut per se clarum est. Aliqui ergo de hoc ipso auxilio simpliciter sufficiente distinguunt auxilia necessaria ad posse vel ad operari, et dicunt auxilium sufficiens includere auxilia necessaria ad posse, non ad operari, et consequenter docent dare posse in suo genere, non tamen complete cum omnibus requisitis ad agendum. Hæc autem denominatio formalis, qua dicitur aliquis constitui potens, interdum sumitur ex nuda potentia sufficiente in suo genere ad agendum, etiamsi aliqua requisita desint, ut homo habens visivam potentiam dicitur potens ad videndum, etiamsi nondum speciem habeat: complete autem dicitur potens, si potentiam habeat et requisita omnia, ut visum, speciem, lumen, etc. Aiunt ergo dicti auctores auxilium sufficiens dare posse tantum priori modo, non tamen posteriori, quia licet det potestatem sufficientem in ratione principii proximi, non tamen dat concursus necessarium ex parte Dei, nec complementum virtutis, quod debet etiam incipere ab ipso Deo, et non datur nec incipit, nisi quando homo operatur: et aliqui hoc confirmant, quia ad operandum necessaria est Dei prædestinatio, vel prædefinitio; sed hanc non includit auxilium sufficiens: ergo non includit omnia necessaria.

3. *Assertio nostra affirmativa utriusque.* — *Gratia sufficiens triplex.* — Nihilominus contrarium verum censeo. Prius vero quam id declarem et probem, aliam distinctionem præmitto auxilii dupliciter sufficientis, scilicet proxime et remote: proxime appello quando homo per auxilium in se receptum potest immediate aliquam operationem efficere sine interventu alterius prioris operationis, qua impetret majus auxilium. Remote appello, quando homo nondum recepit in se totum auxilium necessarium ad certum opus, habet tamen illud a Deo paratum, si ad illud se disponat, vel illud impetret; quam distinctionem sumo ex Concilio Tridentino, sess.

6, cap. 11, dicente: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis*; nam illud verbum, *facere quod possis*, indicat eum, cui hoc jubetur, habere auxilium proxime sufficiens; tum quia ab illo immediate postulatur ut faciat; tum quia in hoc solum distinguitur illa potestas ab ea quam Concilium indicat in subjunctis verbis, *et petere quod non possis*; nam in his insinuat auxilium remote sufficiens: nam qui nondum potest nondum habet auxilium proxime sufficiens, verbi gratia, ad contritionem habendam; si tamen oret, recipiet illud, et juvabitur ut possit contri, et ideo dicitur habere auxilium remote sufficiens ad contritionem priusquam oret, quia habet illud paratum, si oret. Unde ad habendum remote auxilium sufficiens ad unum actum, verbi gratia, contritionis, necesse est ut habeat auxilium proxime sufficiens ad alium actum, verbi gratia, orationis, vel alterius dispositionis ad majus auxilium. Atque ita auxilium remotum, unius actus respectu, revocatur ad proximum respectu alterius; ideoque de proximo loquimur, et in eo tota difficultas versatur. Adverto autem hunc modum auxilii sufficientis remoti solum inveniri in his qui aliqua vocatione vel excitatione supernaturali præventi sunt, de quibus solum nunc agere intendimus. Alio vero modo dicitur potest auxilium sufficiens quasi remotissimum quod ex parte Dei homini offertur sub aliquo modo, vel conditione, quamvis nondum per aliquod supernaturale auxilium inchoatum in homine sit, de quo in ultima parte hujus libri dicam.

4. *Probatum assertio ex Concilio Tridentino.*

— *Justificatos Deus non deserit, nisi ab ipsis prius deseratur.* — His ergo positis, dicendum est auxilium proximum et complete sufficiens ad aliquem actum, ita dare potestatem operandi, ut vel actu in homine, quidquid ad actualem operationem necessarium est tanquam prævium et ab operatione distinctum ac separabile vel in proxima ejus potestate constituat quidquid ex parte Dei concomitanter necessarium est, etiamsi ab operatione hominis non sit distinctum, nec separabile. Probatum primo ex citatis verbis Concilii Trident.: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo, monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis*, ubi loquitur de homine prævento per gratiam, imo et justificato: nam de hujusmodi homine docet quomodo præceptis obligetur, et illa valeat implere. Duos autem

modos auxilii sufficientis, ut supra dixi, insinuat, unus est potestatis proximæ, per quam potest homo aliquid immediate facere, nulla alia dispositione vel oratione præmissa. Alius est potestatis remotæ, quæ non est per se et proxima potestas actum efficiendi ad quem est tantum remote sufficiens sed ad alium, quo mediante potest novum auxilium obtinere quo possit proxime actum ulteriorem efficere. Unde consequenter colligitur ex mente Concilii, præter illos duos modos non reperiri aliud auxilium sufficiens in homine receptum, ac proinde in tali auxilio sufficiente debere includi totum id quod ad actualem operationem liberam necessarium est, et quod id totum aut sit homini datum, aut ex parte Dei ita præparatum, ut in libera ejus potestate sit constitutum. Deinde idem Concilium, paulo inferius, in eodem capite, inquit: *Justificatos in eadem gratia, quam acceperunt, proficere, quæ quidem potestas sufficientiæ profecto est, cum commune sit omnibus justis, et multi ea non utantur.* Illam autem declarat et probat Concilium, dicens: *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi prius deseratur ab ipsis*, cujus rationis vis in eo consistit, quod Deus paratus est dare justis quidquid necessarium est ad proficiendum in gratia: nam si hoc beneficium ex se et sine ipsorum culpa denegaret, eos plane desereret; quia vero non deserit, paratus est illos auxiliari. Ergo supponit Concilium, ad illam potestatem et sufficientiam adjutorii, necessarium esse ut ex parte Dei sit ita homini paratum, ut sit in sua potestate. Simile argumentum sumitur ex cap. 13, ubi docet justum posse cum divino auxilio perseverare, si velit; hoc est enim quod ait: *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine pollicetur, tametsi in divino auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent*; quæ est enim hæc spes, nisi quia certi esse debemus, ita esse paratum nobis auxilium ex parte Dei, ut quod per illud possumus, simpliciter possimus? Et reddit Concilium rationem ex eodem dogmate, dicens: *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere*; ergo ex intentione Concilii, ut homo simpliciter possit aliquid quod sine Dei auxilio facere non potest, necessarium est ut vel jam receperit quidquid necessarium est ad tale opus faciendum, vel si quid deest, illud habeat in potestate sua promptum et paratum ex parte Dei.

5. *Quomodo proxime allatum axioma Concilii ab aliquibus explicetur.* — *Sed refutatur ea*

explicatio. — *Maxime ex mente sancti Augustini, qui illius axiomatis est auctor.* — Quidam vero modernus scriptor docuit aliquod auxilium gratiæ esse necessarium ad opus efficiendum, quod neque Deus dat, neque ex se paratus est dare etiam justis, neque etiam homo potest aliquid facere quo illud obtineat, et nihilominus sine illo vel dato, vel oblato, posse subsistere auxilium sufficiens per sola auxilia excitantia : ad hanc autem doctrinam defendendam explicuit Concilium et dogma illud : *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso, de sola gratia habituali et sanctificante, non de gratia auxiliante, ita ut sensus sit Deum neminem privare sua amicitia, justitia, vel gratia, nisi ratione alicujus peccati, quo prius ipse homo deserat Deum.* Sed profecto supervacanea fuisset doctrina Concilii in illo sensu ; quis enim dixit unquam Deum solere privare aliquem gratia et justitia, priusquam ipse peccando deserat Deum, ut oportuerit Concilium dogma illud in illo sensu tradere, præterquam quod in illo sensu esset inutile principium illud ad doctrinam, quam Concilium tradit, confirmandam. Nam Concilium, in cap. 11, principium illud adducit, ut probet esse in justorum potestate in accepta justitia proficere. Hoc autem non potest ex illo principio inferri, si in illo sensu intelligatur. Nam licet Deus non auferat gratiam habitualement a justo, si in ipsum justificatum non jugiter virtutem influat, nihil gratum ac meritorium apud Deum efficiet, ut idem Concilium docet c. 16, et consequenter nec posset in gratia proficere. Loquitur ergo Concilium de desertione quoad auxilia necessaria ad crescendo in gratia, docetque hoc Christi auxilium, seu influxum virtutis, qui antecedere, comitari et subsequi debet opera, ut Deo sint grata, non defuturum justis, nisi ipsi deserant Deum ; et in hoc sensu Deum non deserere justos quoad actualia auxilia necessaria, nisi prius ab ipsis deseratur. Nec minus certum est Concilium, in cap. 13, fuisse in eodem sensu locutum. Expresse enim dicit, licet homo de futura sua perseverantia certus esse non possit, nihilominus in divino auxilio firmissimam spem collocare debere, et subjungit rationem : *Quia Deus, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere.* Ad concipiendam autem firmissimam spem in divino auxilio de perseverantia, non satis est certos nos esse Deum non privaturum nos gratia habituali, si non peccemus, sed oportet etiam esse certos non defuturum nobis auxilium ne-

cessarium ad non peccandum, si nos Deo non defuerimus. In hoc ipso sensu loquitur Concilium, et sunt valde notanda hæc ultima verba : nam in eis evidenter loquitur Concilium etiam de auxilio efficaci ; tale enim est auxilium quo Deus velle et perficere operatur in nobis. Præterea dogma illud sumptum est ex Augustino, lib. de Nat. et Grat., c. 26, qui in dicto sensu aperte illo utitur. Intentio enim Augustini in illo capite, est contra Pelagianos ostendere gratiam, qua Deus justificat impium, non solum dari ad tollenda peccata commissa, sed etiam ad cavendum, ne nova committantur ; et rationem reddit, *quia non solum gratia indigemus, ut a peccati ægritudine sanemur, sed etiam ut de cætero recte ambulare possimus, quod quidem sani etiam non nisi illo adjuvante poterimus, quod ait nobis præstari per mediatorem Jesum Christum Dominum nostrum, qui sanat ægrotum, et vivificat mortuum, id est, justificat impium cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam, justitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur.* In quo contextu, non potest ratio illa subsistere, nisi sensus sit non deserere Deum justos, non tantum quoad gratiam datam non tollendam, sed etiam quoad danda auxilia necessaria ad recte vivendum, si ab ipsis non deseratur ; quod declarat exemplo oculi, *qui licet sit plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere ; sic (ait) justus, nisi divinitus juvetur, non potest vivere ; sentiens quod, sicut oculus simpliciter sine luce videre non potest, ita justus sine novo gratiæ adjutorio, ideoque Deum non deserere illum, negando tale adjutorium.* Unde concludit : *Sanat ergo Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus, utique quantum in ipso est ; sic enim dicitur Deus præstare illud omnibus justis, non quia in effectu omnes illud recipiant, sed non per Deum, sed per eos stat, si illud non recipiunt.*

6. *De omnibus hominibus idem axioma intelligitur ab Augustino, et aliis SS. Patribus.* — *Denegatio auxilii necessarii quomodo sit majus malum quam peccatum.* — Denique Augustinus in libro ad articulos sibi falso impositos, art. 7, vel potius Prosper ad objectiones Gallorum in 7, in eodem sensu utitur eodem principio, ut probet eos qui post gratiam acceptam peccant, non ideo peccare quia deserantur, id est, quia auxiliis necessariis deserantur, sed quia ipsi peccant ideo deseri ; generalius vero etiam de pecca-

toribus loquitur Augustinus, serm. 88 de Tempore, dicens : *Fideliter et firmiter credat dilectio vestra, quia nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur.* Et ut doceat hoc etiam in peccatoribus verum esse, subjungit : *Cum enim et semel, et secundo, et tertio, unusquisque gravia peccata commiserit, expectat tamen illum Deus.* Idemque repetit Prosper ad objectiones Vincent. in 7, ubi etiam non solum de justis, sed etiam generaliter sententiam profert : *Deus, priusquam deseratur, neminem deserit, et multos desertores sæpe convertit.* Unde non loquitur specialiter de desertione quoad ablationem gratiæ habitualis, sed magis de desertione per absolutam denegationem alicujus auxilii simpliciter necessarii ad salutem, vel ad non peccandum. In eodem sensu dixit Fulgentius, lib. 1 ad Monimum, c. 13 : *Juste deseritur a Deo, qui deserit Deum ; et Anselmus, lib. de Concord. præscient : Sic gratia subsequitur donum suum, sive parvum, sive magnum sit, ut illud dare non deficiat, nisi liberum arbitrium, volendo rectitudinem quam accepit, deserat ; ubi addendo illam particulam, sive parvum, sive magnum, ostendit aperte non de gratia habituali sola, sed de universis donis gratiæ id verum esse ; maxime ergo de auxilio necessario ad salutem : et sane quamvis certissimum sit Deum non deserere justum auferendo gratiam sanctificantem, si ipse illam non abiciat peccando, non minus videtur necessarium ut illum non deserat per absolutam denegationem auxilii necessarii ad non peccandum, quia hoc quodammodo majus malum est : nam ex hac desertione sequitur et ipsum peccatum, et ipsa etiam gratiæ justificantis amissio. Quod si Deus non deserit justum, denegando illi ex se aliquod auxilium necessarium, ergo offert illa, eaque in hominis manu et potestate ponit, ut habeat illa, si velit ; ergo hanc potestatem includit etiam auxilium sufficiens, ut simpliciter ac vere sufficiens sit. Supererant yero duo declaranda circa propositionem illam : *Deus non deserit nisi deseratur,* intellectam quoad auxilium. Unum est, quomodo intelligenda sit de auxilio sufficiens, aliud quomodo de efficaci ; sed primum tractabitur cap. 9, posterius in libro sequenti.*

7. *Liberum arbitrium manet in nobis ad opera salutis post peccatum, ex Concilio Senonensi.* — *Quæ sint necessaria ad illam arbitrii libertatem, quoad usum.* — Addo denique generalem doctrinam Concilii Senonensis in de-

cretis fidei, cap. 15 ; ubi cum dixisset mansisse in nobis, post peccatum, liberum arbitrium ad opera salutis, subjungit : *Neque enim liberum arbitrium asserentes, divinam excludimus propterea gratiam, etc. ; sed juxta Scripturam eo extendimus, ut humana voluntas, misericordie prævenientis auxilio suffulta, et interiori quodam et occulto secretioris inspirationis afflatu contacta, sese convertat in Deum, Deo appropinquet, et ad illam veram gratiam sese præparet, quæ tandem accepta sit ad vitam æternam.* In quibus verbis adverto et pondero non solum dicere Concilium per hoc auxilium posse homines se convertere in Deum, sed dicit se convertere et præparare ad gratiam sanctificantem ; non quia id semper fiat ; nam statim dicit illi gratiæ resisti posse, et sæpius resisti, quia illam habuerunt quibus Christus Dominus dicebat : *Quoties volui congregare filios tuos, etc., et noluisti,* Matth. 23 ; sed ita locutum est Concilium, ut significet in manu ejus, qui tale auxilium habet, esse aliquid operari, quo se præparet ad ulteriorem gratiam, ac subinde ad illam dispositionem nullo indigere auxilio, quod vel non habeat, vel in manu ejus et potestate non sit, et hoc declarans subjungit : *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu ; ergo quod auxilium necessarium ad operandum vel sit actu receptum, vel sit in promptu, omnino necessarium est ad habendam libertatem veram ad hujusmodi actus, et (quod idem est) ad habendam simpliciter potestatem, quam dare debet auxilium sufficiens. Duo autem sunt ad libertatem arbitrii necessaria ; unum est posse facere actum, aliud posse non facere, etiam supposita integra facultate faciendi ; ex qua duplici potestate prior dici potest fundamentalis, et quasi inchoans libertatem in actu primo ; posterior vero voluntati dans modum potestatis indifferentis, et quasi complens libertatem. Utraque autem potestas debet subsistere cum auxiliis gratiæ, posterior quidem cum efficaci, de quo in libro sequenti dicemus ; prior vero cum sufficienti, et ad hoc dixit dictum Concilium necessarium esse ut auxilium Dei in promptu sit, utique totum auxilium necessarium ad opus, ut aperte dicunt illa verba : *Neque tanta gratiæ necessitas, etc.* Et ratio est clara, quia ad potestatem quæ ad usum vel non usum liberum sufficiat, non satis est nuda seu remota potestas voluntatis, sed necessaria est potentia proxima, id est, cum omnibus requisitis ad operandum, ut constat ex vulgari*